

eorum ductus ab illa parte terrarum, includente flumine Iaxarte, quod Scythæ Silyn uocant: Alexander, militesque eius, Tanain putauere esse. Transcendit eum amnem Demonax, Seleuci & Antiochi regum dux, quem maxime sequimur in ijs: arasque Apollini Didymæo statuit.

Scytharum gens.

CAP. XVII.

**V**ltra sunt Scytharum populi. Persæ illos Sacas in uniuersum appellauere à proxima gente, anti qui Arameos. Scythæ ipsi Persas, Chorfaros, et Caucasum motem, Graucasum: hoc est, niue cadidum. Multitudo populorum innumera, et quæ cum Parthis ex æquo degat. Celeberrimi eorum Sacæ, Massageta, Dabæ, Essedones, Ariacæ, Rhyrnici, Pefici, Amordi, Histæ, Edones, Camæ, Camacæ, Euchatæ, Cotieri, Antariani, Piale, Arimaspi, antea Cacidiri, Asei, Oetei. Ibi Napæi iterisse dicuntur, et Apellæi. Nobilia apud eos flumina, Mandagraum & Caspium. Nec in alia parte maior autorum inconstantia, credo, propter innumeras uagasque gentes. Haustu ipsius maris dulcem esse, & Alexander magnus prodidit, & M. Varro talem perlatum Pöpeio, iuxta res gerenti Mithridatico bello, magnitudine haud dubie influentium amnium victo sale. Adicit idem, Pöpeij ductu exploratum, in Bactros vii diebus ex India perueniri ad Icarum flumen, quod in Oxum influat: & ex eo per Caspium in Cyrum subuectas, quinque non amplius dierum terreno itinere, ad Phasin in Pontum Indicas posse deuehi merces. In sulæ toto eo mari multæ, uulgata una maxime Tazata: à Caspio mari Scythicoque oceano, in eam cursus inflectitur, ad orientem conuersa littorum fronte. Inhabitabilis eius prima pars, à Scythico promontorio, ob niues: proxima, inculta sequitur gentium, Anthropophagi Scythæ insident, humanis corporibus uescetes. Ideo iuxta nastæ solitudines, ferarumque multitudo, haud dissimilem hominum immanitatem obsidens. Iterum deinde Scythæ, iterumque: deserta cum beluis, usque ad iugum incumbens maris, quod uocant Tabin. Nec ante dimidiam ferme longitudinem eius oræ quæ spectat æstiuum orientem, inhabitatur illa regio. Primi sunt hominum, qui noscantur, Seres, lanicio sylvarum nobiles, perfusam aqua depeffentes frondium caniciem: unde geminus feminis nostris labor, redordiendi fila, rursumque texendi: Tam multiplici opere, tam longinquo orbe petitur, ut in publico matrona transluceat. Seres mittes quidem, sed & ipsi feris persimiles, cæterum reliquorum mortalium fugiunt, cum commercia expetant. Primum eorum noscitur flumem Psitaras, proximum Carabi, tertium Lanos à quo promontorium, Chryse sinus, Cyrnaba flumen, Attanos sinus. Et gens hominum Attacorum, apricis ab omni noxio afflatu seclusa collibus, eadē qua Hyperborei degunt temperie. De ijs priuatum condidit uolumen Amometus, sicut Hecateus de Hyperboreis. Ab Attacoris gentes Thyri & Tochari, & iam Indorum Casiri, introrsus ad Scythas uersi, humanis corporibus uescuntur. Nomades quoque India

uagantur. Sunt qui ab Aquilone contingi ab ipsis & Cyconas dixere, & Brysanos. Sed inde (ut plane consentiunt omnes) Emodi montes assurgunt, Indorumque gens incipit, non eo tantum mari adiacens, uerum & meridiano, quod Indicum appellauimus: quaque pars orienti aduersa recto prætenditur spatio, ad flexum & initium Indici maris xviii. lxxxv. M. pass. colligit. Deinde qua flectitur in meridiem xxiiii. lxxxv. M. pass. ut Eratosthenes tradit, usque ad Indum, qui est ab occidente finis India. Cōplures autem totam ipsius longitudinem xl. dierum nocturnumque; uelifico nauium cursu determinauere: & à septentrione ad meridiem xxvii. l. M. pass. Agrippa longitudinis xxxiiii. M. prodidit. Possidonius ab æstiuo solis ortu ad hybernium exortum metatus est eam, aduersam Galliam statuens, quam ab occidente æstiuo ad occidentem hybernium metabatur totam à fauonio. Itaque obuersam eius uenti afflatu iuari India, salubremque; feri, haud dubia ratione docuit. Alia illius cæli facies, alij siderum ortus: binæ messes in anno, binæ æstates, media inter illas hyemes etesiarum flatu. nostra uero brumali. Lenes ibi auræ, mare nauigabile, gentes & urbes innumerabiles, si quis omnes persequi uelit. Etenim patefacta est non modo. Alexandri magni armis, regumque; qui ei successere, circumuectis etiam in Hyrcanum mare et Caspium Seleuco & Antiocho, pfectoque; classis eorum Patrocle, uerum & alijs autoribus Græcis, qui cum regibus Indicis morati sunt: sicut Megasthenes, & Dionysius, à Philadelpho missus ex ea causa. Vires quoque; gentium prodidere. Non tamē deest diligentia locis, adeo diuersa & incredibilia traduntur. Alexandri magni comites in eo tractu India quem subegerant, scripserunt v. M. oppidorum fuisse, nullum minus, gentium ix. Indiamque; tertiam partem esse terrarum omnium, multitudinem populorum innumeram: probabili sane ratione. Indi enim prope gentium solinunquam emigrare finibus suis. Colliguntur à Libero patre ad Alexandrum magnum reges eorum cliiij. annis vi. M. cccij. adiciunt & menses tres. Annium mirarastitas. Proditur Alexandrum nullo die minus stadia sexcenta nauigasse in Indo, nec potuisse ante menses v. enauigare, adiectis paucis diebus: & tamen minorem Gange esse constat. Seneca etiam apud nos, tentata India cōmentatione lx. annes eius prodidit, gentes duodeuiginti centumque;. Par labor sit montes enumerare. Iunguntur inter se Imaus, Emodus, Paro panissus, Caucasus partes, à quibus tota decurrit in planiciem immensam, & Aegypto similem. Verum ut terrena demonstratio intelligatur, Alexandri magni uestigijs insistamus. Diognetus & Beton itinerum eius mensores, scripsere, à portis Caspijs Hecatompylon Parthorum quot diximus milia esse: inde Alexandriam Arion, quam urbem is rex condidit, d. lxxv. M. Inde ad Prophtasiam Drangarum cxciij. M. Inde ad Arachosiorum oppidum d. xlv. M. Inde Orthospanum ccl. M. Inde Alexandri oppidum l. M. In quibusdam exemplaribus diuersi numeri reperiuntur:

f ij tur: